Quelle:
Copyright:

quod etiam judicio Haly Centilogium sit Hermetis, et non Ptolemæi; etsi postmodum illud exponendo mutaverit sententiam. Quamvis autem Cardanus T. 5. opp. suorum Centilogii authorem Hermetem esse asserat, Ptolemæo tamen attribuit quatuor illos libros, qui de astrorum judiciis instituuntur. In primo Ptolemæus ponit generalia præcepta Astrologiæ, et tanquam principia vendidat; agit etiam de viribus planetarum, eosque dividit in diurnos et nocturnos; disserit de aspectibus, de sole, de ani temporibus, de signis masculinis et femininis, de imperantibus et obedientibus, de domibus, et de cujusque planeta dignitate, ac eorum finitus. In secundo singulas gentes sub suis signis constituit, et de temporum eventibus loquitur. In tertio tractat de scientia gradus ascendentis, de parentibus, de nativitate geminorum, de spatio vitæ et de qualitate animæ hominis nati. In quarto demum libro sermocinatur de prosperitate, conjugiis, filiis, peregrinationibus et stellarum fixarum significationibus. Priores duos Ptolemæi libros e græco in latinum transtulit idioma Joachimus Camerarius, posteriores vero duos vertit Georg. Trapezuntius, sed accuratius et fidelius Erasmus Oswald. Schreckenfuchius. Fabr. Bibl. Græc. L. 4. c. 14. p. 418. Ejusdem Ptolemæi dicitur etiam esse opus quod sub titulo: Fructus librorum suorum, notum est, Freytag in apparat. Lit. T. 2. p. 727. et quod ibi citat Librorum Censores. Et iste libellus eorundem librariorum testimonio centum dicta comprehendit ad profectum Syrum, quorum conversio in latinum Pontano Foriano tribuitur in Lexico Jöcheri T. 2. p. 1869. et in Nov. Mem. eum inventum Nov. Lonin. Bibl. gn Dresden, T. 2. p. 131. Prædictorum igitur Librorum auctor plurimorum consensu est Ptolemæus Claudius, natione Ægyptius, patria pelusiensis, qui (: ut Maginus in comment. et Anotat. Geograph. Ptolem. p. 6. recte observat:) quoque Alexandrinus vocatur, non quod urbs Pelusium parum differet ab Alexandria, ut quidam scribit (: nempe Cardanus in Proemio ad 4. Lib. Ptolemæi:) siquidem ibi milliaribus abest; sed potius quia in urbe alexandria longo tempore habitavit, scilicet 40 annos, ut Heilbronner l. 2. c. p. 342. opinatur, atque in ea suas observationes fecit, sub Marc. Aurel. Anton. Imp. Rom. sed longe diversas a systemate Copernicano. Hic, ait de Ptolemæo Bossardus Jacobus (: in Parnasso cum imaginibus Musarum:) primus omnium apud græcos obliationem accuratius diligentiusque capiendi instrumenta, quæ ab Hipparcho inventa erant, demonstravit clarius. Principes itaque Doctrinæ Mathematicæ jure suis habitus,